


**05
A
2419**



DISPUTATIO GNOSTOLOGICA
AFFECTIONI-^{De}
BUS COGNOSCIBILIS IN
GENERE, ET DE UNITIS IN SPECIE,
Quam
DEO Trinuno Adspirante
In
Inclita Leucoreā
PRÆSIDE,
M. GEORGIO MEIERO,
Lunæburgensi,

publicæ Philosophantium censuræ sifit
DETLEVUS PAULI, Prezà-Holsatus.

Ad diem Julii Anno M DC LXI.
H. Lq;. C.

Literis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typpogr.

Wittenb.



V I R I S

Maxime Reverendis, Amplissimo, Excellentissimo,
Preclarissimis, nec non Doctissimis,

Dn. PETRO REHBINDERO,
S. S. Theol. D. famigeratissimo, Eccles. Lunæburg. Su-
perintendenti, & Scholæ ibidem Johanneæ Inspe-
ctori gravissimo, optimèq; merito.

Dn. M. MATTHÆO POLEMANNO,
Ecclesiæ Lunæburg. in æde D. Michaëlis V. D.
Ministro dignissimo, vigilantissimo.

Dn. M. CASPARI SAGITTARIO,
V. D. in æde Johann. Ministro fide-
lissimo, meritissimo.

Dn. M. NICOLAO ZIMMERMANNO,
Scholæ Senatoriæ Lunæburg. Rectori
gravissimo, celeberrimo,

nec non

Viro Nobilissimo, Clarissimo atq; Doctissimo

Dn. FRIDER. THEODORO MELBECIO,
Judicij inferioris Lunæburg. Actuario
prudentissimo.

Dn. Patronis, Favitoribus, respectivè Hospiti olim,
Præceptoris, Affini, Promotoribus aeternum devenerandis in
sui atq; Studiorum suorum ulteriore commendationem
Exercitium bocce Academicum Dedicat,
atq; submissâ animi devotione offert
Detlevus Pauli, Prezâ - Holsatus,
Philos. & S. S. Theol. Stud.



L. A. J.

De

AFFECTIONIBUS COGNOSCIBI- BILIS IN GENERE.

SECTIO I. ΘΕΩΡΗΜΑΤΙΚΗ.

Affectiones Cognoscibilis sunt conceptus genera-
lisimi, qvi cognoscibile consequentes, extraessentiali-
ter illud denominant, ac cum eo reciprocantur.

Expositio.

§. 1. **Q**uamvis cognoscibile in se & sua naturâ sit simplex,
neque intrinsecè ex quoipiam constituatur, ut omni-
nò frustrâ de affectionum illius ex essendi principiis demon-
stratione laboretur; dari nihilominus per analogiam tales ha-
bitudines & conceptibilitates possunt, qvæ ex Cognoscibili
fluentes, cum reciprocatione quadam idipsum denominant.

§. 2. Notandum vero 1. quâ subjectum, terminum Affe-
ctionis hîc cum quadam ampliatione esse accipiendum, prout
à conditione materiali, quæ est, qvod affectio (prædicamen-
tal) realiter, velut Ens peculiare ab eo, cuius est affectio, sit
distincta, debito modo liberatur. 2. Qvâ Prædicatum obser-
vandus partim Conceptus latior, ut, quando Affectiones Co-
gnoscibilis describuntur Conceptus latissimi. Hoc siquidem
prædicatum in signo rationis patere latius videtur, qvâm i-
psum cognoscibile, quod qvidem ut sic latissimum exhibet
conceptum, sui tamen ipsius esse affectio nequit. Qvare af-
fectiones hæc Cognoscibile ut sic præsupponunt, utpote qvod
tanquam posterius insequuntur. Partim Conceptus stricior,
qui exhibet (α) Materiale, qvod est ipsum Cognoscibile seu
res cognoscibilis, superius à nobis declarata. (β) Formale

Subjectum

Prædicatum
ubi Conce-
ptus latior,

Conceptus
Stricior.

B. 2

qvod



Reqvista.

Qvod consistere digimus in extrinseca & reciproca denominatio-
ne. Reqviritur ergo ad affectiones Cognoscibilis i. *Con-
secutio.* Sunt enim peculiares conceptibilitates, Cognoscibi-
le non constituentes, neque contrahentes, sed consequentes.
Hinc 2. fluit *formalis distinctio*. Licet enim affectiones ha-
c quoad materiale cum subjecto suo planè unum sint & idem;
formaliter tamen & per rationem ratioe inatam ab eo distin-
guuntur merito. Habent enim se velut consequens. Sed
omne consequens ab eo quod consequitur aliquo modo, si non
re ratione tamen sit diversum, necesse est. 3. *Extraessentialis de-
nominatio*: Quæcumque enim aliud consequuntur, non in ab-
stracto, sed in concreto, non essentialiter sed extraessentialiter
efferri de eodem debent. 4. *Reciprocatio*. Nempe affectiones
Cognoscibilis cum ipso & quæ latè patent, quatenus illud con-
comitantur & cum eodem in genere retrocurruunt, sive recipro-
catio illa fiat unitim, sive disjunctim per jam dicenda.

THEISIS II.

Divisio

Affectiones Cognoscibilis sunt vel *unitæ*: vel *dis-
junctæ*. *Unitæ* sunt, quæ in sensu unito cum Cognosci-
bili convertuntur, ut *Veritas* & *Aptitudo ad Ideam*. *Dis-
junctæ* sunt, quæ sub disjunctione illud denominant.

Expositio.

Divisionem datam ipsa infert dictarum affectionum ad
subjectum suum habitudo, probat distincta cuiusvis formalitas.
Veritas enim & Aptitudo ad Ideam sine disjunctione uni-
tim cum Cognoscibili reciprocantur, hinc & affectiones eas
appellamus unitas. Porro aliam admittit formalitatem Veri-
tas, aliam aptitudo ad ideam. Hinc distinctè veniunt propo-
nendæ. Viciſſim quando aliæ cum disjunctione de Cogno-
scibili efferuntur; disjunctæ eadem (servata analogia) à nobis
vocantur affectiones.

THEISIS III.

Disjunctæ iterum aliæ sunt *primarie*, quæ primarie
de cognoscibili prædicari possunt, ut *Prædicamentalitas*,

b. p.

661



& Extrapredicamentalis: Aliæ secundarie, qvæ secundariò de eo enunciantur, ut Univocatio & Analogia.

ENDEMIC.

Disjunctas has voco affectiones ratione prædicationis, propter omne Cognoscibile vel est Prædicamentale vel Extrapredicamentale: vel Univocum vel Analogum; non ratione latitudinis, cuius respectu Conjunctæ potius sunt appellandæ, qvia conjunctim sumtæ Cognoscibilis exhaustiunt latitudinem. Quando autem non uno eodemque modo ab omnibus afficitur Cognoscibile, sed à quibusdam ἀρχήσ, à quibusdam vero διενέγως, exurgit inde data in theoremate disjunctarum Cognoscibilis affectionum distributio.

SECTIO II. ΑΞΙΩΜΑΤΙΚΗ

ΑΞΙΟΜΑ I.

Atributa Cognoscibilis non sunt substantia.

Probatur Canon i. Qvia secus omne quod est Cognoscibile compositum foret ex substantia & accidente. 2. Qvia alias & accidentis affectio esset substantia, & per consequens accessoriū suo principali foret nobilius, quod absurdum.

Affectiones
non sunt
Substantia.

ΑΞΙΟΜΑ II.

Atributa Cognoscibilis non sunt accidentia, sed modi
sub virtute proprii illud denominantes.

neg. acci-
denta

Patet Maxima i. Qvia subjectum, h. loco Cognoscibile, est per se tale. At jam si ejus affectiones, qvæ in τῷ Cognoscibili includuntur, forent accidentia, Cognoscibile non esset per se tale, sed per accidens. 2. Qvia hæc affectiones formaliter non sunt ipsum Cognoscibile, sed sunt id quod ei inest, & ex eo fluit. Hinc dicuntur modi vel rationes quædam formales subsequentes τῷ Cognoscibilis rationem, ita tamen ut ab eo non realiter, sed ratione saltim ratiocinata sint distinctæ.

SECTIO III. ΕΛΕΓΚΤΙΚΗ

ΠΡΟΒΛΗΜΑ I.

An dentur affectiones Cognoscibilis? R.

Dati Cognoscibilis affectiones non strictè dictas, sed laissimè acceptas, præter susceptam hactenus illarum discussio- nem, evincit t. Canonis Universalitas: Omne quod est, habet

Probatur
existentia
affectionum.

A 3 ali-



aliquem & representativè sc: & formaliter modum. Vide Joh. Henricum Alstedium in Encyclop. lib. XI. part. i. Met. c. 5. reg. 1. p. 579. Jam verò Cognoscibile revera est. Ergo & ejus erunt modi. 2. *Contradicentis sententiae absurditas.* Rueret (α) atqve annihilaretur nobilissima hæc de humana cognitione disciplina, si ejus tollerentur affectiones. Objectum enim peculiare & affectiones constituunt disciplinam. Cum vero hic peculiare detur objectum, qvæd sub initium statim Gnostologiae dedimus probatum, neqve ei citra absurditatem communia qvædam denegantur prædicata, qvæ affectionum nomine veniunt communiter. (β) Si non dantur Cognoscibilis affectiones, intellectus noster totalem semper & adæqvatum formabit conceptum. Sed huic reclamat experientia. Posito enim qvod intellectus noster conceptum ὄλικῶς ac semel formare quidem possit, ut adeo unicum ei in mente respondeat ἀνθρώποι seu imago per modum unius numero qualitatis; una tamen eaqve αἰδιαγέτων οἵτινες seu indivisibili conceptione ὄλικῶς ac plenè exhaustire ac penetrare nunquam valet. Hinc necessariò de uno illo, & indivisibili conceptu mens nostra plures eosqve inadæqvatos & partiales formare conceptus cogitur, qvò actibus distinctis per species distinctas omne qvod in totali Cognoscibilis conceptu involvitur planâ & plenâ cognitione complectatur.

PROBLEMA II.

Quid præsent Cognoscibilis affectiones? R.

Usus secundum Tullium, magister est optimus, omnia quoqve usu metimur & commodis. Quæ ergo habeant usum Cognoscibilis affectiones, jure inquirimus. Nempe diversos ipsius status intellectui repræsentant. At qvid h. i. sunt status? Variæ rationes in Cognoscibili conceptibiles, qvæ intimè ei sunt inclusæ. Ita v. g. Veritas certum Cognoscibili innuit statum, id est, rationem conceptibilem, qvâ objectum Cognoscibile ut intellectui conveniens, repræsentatur. Aptitudo ad ideam facit, ut mediante abstractione sub proprio conceptu, intellectum nostrum in cognitione mensuret. Quæ rationes conceptibiles, qvas singulæ affectiones inferunt singulas, unum tandem & totalem atqve indivisibilem cum Cognoscibili.

scici

grat. pro
Rabirio



scibili conceptum absolvunt: *Dicis*: hoc modo Cognoscibile erit compositum ex pluribus partialibus conceptibus. Verum minimè, qvia illæ rationes dependent à nostræ mentis operatione, qvæ extrinseca est & ipsi rei cognoscibili reali divisionem inferre nunquam potest. Hinc citra simplicitatis jacturam sub diversis, inadæquatis tamen, conceptibus, velut idolis partialibus & Cognoscibile sese repræsentat intellectui. Licet itaqve proprietates istiusmodi veræ sint, suoqve etiam modo positivæ, diversos Cognoscibilis status menti exponentes, salva nihilominus & integra ejus remanet simplicitas.

CAP. IX.

DE VERITATE COGNITIONIS

SECT. I. ΘΕΩΡΗΜΑΤΙΚΗ

THESIS I.

Veritas cognitionis est affectio cognoscibilis unita, qvæ dicit omnimodam congruentiam intellectus concipientis ad rem intellectam:

Expositio.

§. I. A nomine Veritatis ut incipiamus, præsupposito, dari Veritatem Cognitionis contra negantem Democritum, quem refutatum vide apud Aristotelem, circa subjectum evolvimus (1.) *Homonymiam*. Una nempè in se & à parte rei veritas est, pro diverso tamen respectu; considerari diversimodè debet. Accipitur igitur h. l. vocabulum Veritatis non (1.) terminative seu effectivè, qvat. est in rebus & veritas in esendo salutatur: neq; (2.) significativè, prout est in vocibus, & dicitur Veritas in significando. Sed (3) formaliter & abstractivè, prout est in cognitione intellectu, & veritas in cognoscendo, seu Cognitionis appellatur, ubi statim observandū venit, hanc Veritatem Cognitionis non esse eandem cum Veritate propositionum quocunq; modo. Veritas enim propositionum vel notat veritatē Connexionis vel sententiarum prout accuratè hæc distingvit Cornelius Martini. Illam penitus Logica. Hæc iterum vel si forma c. gg accipitur pro veritate sententiarum in particulari, & veritatem p. 72. notat

Descriptio.

lib. 4. Meti
c. 6.

Subjectum]
ubi.

(1.) Homog
nymia.

lib. de analy
Cornelius Martini. Illam penitus Logica.

Hæc iterum vel si forma c. gg
accipitur pro veritate sententiarum in particulari, & veritatem p. 72.



notat materialem, quam vocant, seu in actu exercito, quæ sit cognoscendo res & proprietates, prout à parte rei sunt: vel precise, pro veritate sententiarum, quatenus sententiae non dicunt respectum ad hanc vel illam materiam. Quomodo ejusmodi sententiae rursus vel consideratur partim prout ore prolatæ & ad Ethicam refertur veritatem, quæ describitur congruentia sermonis & mentis: partim prout mente concepta. Et sic coincidere cum Veritate Cognitionis, quam h. l. pertractamus, facile largimur.

(2) *Synonymia.* Vocatur à nonnullis Veritas in repræsentando, non tamen, quatenus est in speciebus intentionalibus, ac figuris rem conformiter repræsentantibus; hæc enim potius ad Veritatem in significando, utpote quæ in vocibus & scripturis reperitur, spectat; sed quatenus consistit in congruentia repræsentativa intellectus & rei.

§. 2. Seqvitur Prædicatum ubi (1) *Conceptus latior*, est affectio Cognoscibilis unita. Veritatem Cognitionis, esse affectionem, hoc probo argumento:

Quodcumq; prædicatum fluit ex primo Cognitionis conceptu, ipsumq; denominat reciprocè, illud est cognoscibilis affectio.

Veritas Cognitionis &c. E. Major à definitione procedit ad definitum. Minor confirmatur, quia fundamentum in ipso ponitur objecto. Veritas autem cognitionis est adæquatio intellectus & rei. Non verò simpliciter est affectio, sed Unitas Argumentor:

Quæcumq; affectio in sensu unito & convertibiliter de Cognoscibili enunciatur, illa ejus est unita affectio.

Veritas Cognitionis &c. E.

Major vicissim à positione definitionis procedit ad positio-
nem definiti. Minorem roborat inductio. Omne enim
quod est cognoscibile quæ tale, est verum. Dicis: unde ergo
est cognitio falsa? R. Falsitas in intellectu non profuit ex
cognoscibili quæ tali, aut falsum gignit conceptum; sed illa fit
per accidens (II) *Conceptus strictior* exhibet partim. Ma-
teriale, quod est Cognoscibili, non in particulari sed in com-
muni acceptum: partim formale quod possumus esse dicimus
in convenientia actus intellectus & objecti repræsentati, ut ob-

je-

(2) *Synony-
mia.*

*Prædicatum
circa quod
I. Conceptus
latior.*

2. *Conceptus
strictior.*



jectum ita se habeat, ut est cognitum. Notandum vero hic
est (1) quod conformitas haec non sit in essendo, quæ fit per pro-
priam & univocam convenientiam in ea forma, in quâ ratione
conformitatis ac similitudinis constituitur, sed in repræsentan-
do, quæ fit per ideam intentionalem, quam res sibi objiciendo
quasi pingit. vid. B. D. Scharff. Theor. transc. disp. 7. p. 341.
(2) Conformitas haec non debet esse aptitudinalis sed actualis, ut
res intellecta talis sit, qualis actu esse intelligitur. Ad quam
præterea convenientiam requiritur, ut sit partim posita in re-
præsentando; partim ut sit talis convenientia quæ rei non ex
parte tantum conveniat, sed ex toto, alias conceptus intelle-
ctus non amplius erit verus. (3.) Adequatio haec non est respectus
tantum rationis; sed realis & intellectui superadditus. Nam
veritas separari ab intellectu potest, eodem permanente.
Neg, tamen (4.) hic respectus est prædicamentalis, sed eran-
scendentialis, consistens in repræsentatione objecti per actum
intellectus, & præcipue in conjunctione actus illius, & rei
repræsentatæ (2) Subiectum à nobis dicitur intellectus conci-
piens. Ubi distingvendum est inter subiectum mediatum &
remotum: & inter immediatum & proximum. Illud subiectum
est intellectus, non divinus, neque Angelicus, sed humanus, isq;
cum primis non in statu separationis, sed conjunctionis prout
hic beneficio sensuum novas efformat species. Cum verò in-
tellectus aliis vocetur Theoreticus, aliis practicus, utrumq; ve
hic volumus indigitatum, hanc tamen observata cautelâ, ut ve-
ritatem Cognitionis pratico intellectui adjudicemus, non in
ratione causæ seu efficientis sive exemplaris; sed saltim in ra-
tione cognitionis, quæ ut sic spectata, notante Svarezio, est
tantum repræsentatio objecti intentionalis. Hoc est operatio
seu actus intellectus. Cum enim nulla mentis operatio sit, in qua
non aliquam cum objecto deprehendamus conformitatem,
ipsæ etiam intellectus operationes convenientiæ seu confor-
mitatis illius (id est veritatis nostræ) subiectum rectè salutan-
tur,

Conformi-
tas.

Respectus.

Subiectum
est intelle-
ctus.

Disp. 8. Met.
sect. 5. n. 3.
p. 185.

THEISIS II.

Oppositum Veritatis est falsitas cognitionis, quæ est
B diffor-

difformitas seu inadæqvatio intellectus concipientis ad rem intellectam.

Ἐπιθετικόν.

Falsitatem Cognitionis proponimus, non quasi intellectus per se fallatur, aut quasi omnis intellectus actus, qui non evidenter objectum exhibet, ideo statim sit falsus, neque quod ipsum cognoscibile in se sit falsum, sed quia intellectus interdum fallitur per accidens. Hinc est cognitionis falsitas, de qua quidem agere pluribus oppositi requirit ratio, sed quia pagellarum ratio illud non permittit, tractationem ejus prolixiter alii reservamus commoditati.

SECTIO II. ΑΞΙΩΜΑΤΙΚΗ

ΑΞΙΟΜΑ I.

Ομνε Κογνοστικόν
verum est.

Ratio 1. est ex Veritatis in cognoscendo formalitate. Veritas hæc præcisè sumta consistit in conformitate ejus quod cum objecto concipitur. 2. ex falsitatis origine. Datur illa non in cognoscibili quæ tali, sed in intellectu apprehendente, non per se, sed per accidens.

ΑΞΙΟΜΑ II.

Nihil est in cognitione, quod non corraspondeat rei.

§. 1. Confirmatur Canon, quia Veritas Cognitionis omnimodam dicit cum objecto, & objecti cum ideâ, cum quæ congruit, conformitatem. Nihil ergo in illo conceptu vel cognitione erit, quod rei non corraspondeat.

§. 2. Valet axioma anterius, non retrosum. Neque enim reciprocè dico: Qvicquid in te est, id omne simul est in conceptu. Sic v. g. qui DEum concipit in essentia unum, is verum de Deo format conceptum, licet non illum statim cognoscat in personis Trinum.

SECTIO III. ΕΛΕΓΚΤΙΚΗ

ΠΡΟΒΛΗΜΑ I.

Numquid Gnostologia fit agere de Veritate Cognitionis? R.

§. 1. Non vacat hic prolixè in varias autorum inquirere sententias. Quoad controversiæ statum breviter tantum monemus, non quæti hic i. de veritate objectiva seu rei, quam & Entitativam dici, quatenus in omniente concipitur & confidetur.

Omnē Co-
gnoscibile
verum est.

Cognitio de-
bet respon-
dere rei.

sideratur, item radicalem seu fundamentalem, qvia veritatis in significando, cognoscendo & repræsentando radix quasi & fundamentum est, testatur M. Kilianus Rudrauff Contemplat. 2. in Primam Phil. §. 10. p. 7. Neqve de significativa seu signi; sed de conformativa seu animi, qvæ dicitur veritas cognitionis seu intellectiva. Neqve 2. de hac, ratione λόγος ἐνδιαθέτεις, qvam Logicam appellat Exc. D. Calov. in Met. divina; sed ratione fundamenti & modi cognitionis. 3. Non de veritate cognitionis sub ratione determinata, prout vel respicit rerum infinitatem, ut in Noologia; vel propositionum connexionem, ut in Logica; sed sub ratione indeterminata, prout respicit cognoscibile. 4. Non de se de veritatis hujus indirecta, & secundaria, qvam fortè Metaphysicam esse, posset concedi; sed de directa primaria & propria.

§. 2. Qveis præsuppositis, affirmativam hoc defendimus Syllogismo: Cujus disciplinæ est, explicare naturam Cognoscibilie qvæ talis, ei qvæ, convenit de ejus agere affectionibus.

Gnostologie est E. Major probatur, qvia omne objetum disciplinare certis suo modo præditum esse debet affectionibus. Minor jam ex superioribus probatis est in confesso. Unde stante hoc argumento, argumentari pergo:

Q. Est affectio Cognoscibilis, id est Gnostologica tractationis. Veritas cognitionis est &c. E. Majore clara, & Minore in sectione prima corroborata, conclusio stat immota.

PROBLEMA II.

Num intellectus in prima mentis operatione capax
sit Veritatis? R.

Reciprocant h̄ic contentionis serram autores, quorum recensione prolixiori ob brevitatem h̄ac vice omissa, pro affirmativa duplicem nectimus discursum:

Argumentamur I.

Quicunq; actus intellectus objecto cognito est conformis, ille veritatis est capax.

Vera simplicium apprehensio est actus. &c. E.

Major à definitone progreditur ad definitum. Minor probatur partim ab Exemplorum inductione. Qui enim Deum vel hominem vel cœlum &c. verè concipit, ille omne citra du-

biūm; conceptum format objecto conformem, nisi objectum
tale ignorari penitus asseratur: partim à contrariae sententiae
absurditate. Si enim primus actus, tanquam conceptus funda-
mentum, rei haud respondeat, neque reliqui respondebunt.
Nam infero 2. Quicquid dicitur de toto, illud à partibus acci-
pit.

Sed de toto, nempè tertiam mentis operatione dicetur quod sit
capax Veritatis. E. Major est indubia, qvia partes sunt causa
totius. Minor ab adversariis propugnatur: Neqve negari
poterit, quod prima mentis operatio ad secundam, secunda ad
tertiam sese ut partes ad totum habeant. Juvat adduxisse ver-
ba Joh. Henrici Alstedii lib. XI. Encyclop. part i. Met. c. 8.
reg. 5. p. 548. Ridiculus est, ait, error Logicorum, qui statu-
unt veritatem esse tantum affectionem orationis sive proposi-
tionis. Nam qvia composita pendent, à simplicibus necesse
est, ut veritas complexa pendeat ab incomplexa.

CAP. X.

DE APTITUDINE AD IDEAM.

SECTIO I. ΘΕΟΦΗΜΑΤΙΚΗ.

THESIS I.

Dēscriptio.

Aptitudo ad Ideam est affectio Cognoscibilis uni-
ta, qva illud, mediante abstractione, sub conceptu pro-
prio intellectui nostro repræsentari aptum natum est,
ad eum in cognitione mensurandum.

Expositio.

§. I. De sede ut hic laboremus, diversa facit autorum
sententia. Clariss. Gutkius, de aptitudine ad ideam agit in
Noologiæ parte generali c. 4. p. 62. Seqvitur hunc B. Mi-
chael Eislerus in Intelligentiæ subtilitate c. 3. p. 91. Exc. D. Ca-
lovius itidem in Noologiæ parte gen. c. 4. p. 47. materia
hanc ex professo expendit, sub eo tamen modo, qvatenus ut at-
tributum objecti intelligentiæ spectatur. Bene! Qvævis enim
mentis operatio veritatis est capax; adeoqve in qvalibet ad i-
deam danda erat aptitudo. Distingvimus ergo nos inter a-
ptitudinem ad ideam prout respicit cognoscibile: & prout rerum
affinitatem. Posterior respectus ad Rerum tendit Affinitatem;

qvæ



qvæ Noologiæ constituit objectum. Prior verò in Cognoscibili tantum subsistit, adeoque in Gnostologia attenditur merito. Pro obtainenda sententia argumentor:

*Cujuscunq; disciplinæ est explicare naturam Cognoscibilis,
ejus etiam est explicare ejusdem affectiones*

Sed Gnostologia est. E.

Major dubio caret. Affectiones enim naturam objecti inseqvuntur. Minorem suprà probatam rectè suppono. Probatis itaq; premissis, illata manet Conclusio: Veritatem rei perpendens M Joh. Heinzelmannus in append. ad Habitum Intelligentiæ Gutkii q. 32. p. 292. ad qvæstionem: *an aptitudo ad ideam eodem modo consideretur in Noologia quo in Gnostologia?* rectè negationis subjicit rationem: Nam, ait, ibi est respectus formalis, quatenus prima cognoscendi principia ex eo redundant.

§. 2. Seqvitur ut explicandam assumamus descriptiōnem, in qvā 1. *Conceptus Contrabilis est affectio Cognoscibilis unita.* Conveniunt in hoc ipso Veritas Cognitionis, & aptitudo ad ideam de illa enim quod unita cognoscibilis affectio sit, in capite præcedenti fuit commonstratum; de hac probō idem sequenti ratiocinio:

Qvicquid fluit ex conceptu primo Cognoscibili, vel ad esse ipsius seqvitur, illudq; extraessentialiter, reciprocè & unitim denominat, ejus est affectio unita.

Aptitudo ad ideam &c. E. Major à definitione illata procedit ad definitum, adeoque vera est & immota. Minorem confirmo inde, quaia omne omnino Cognoscibile ad nostrum intellectum dicit respectum; omne Cognoscibile intellectum nostrum in cognitione mensurat, ex quo illa provenit ad ideam aptitudo. Neq; enim Cognoscibile vel aptum esse ad ideam debet vel ineptum. Sed qvicquid objectivè fundamentaliter in natura existit, id taliter coram mente sisti debet formaliter, ut habet de veritate per repræsentationem Axioma Noologicum. 2. *Conceptus contrahens* (ut in respectivis fieri consuevit) desumitur (1.) à subjecto, quod est cognoscibile, id enim quando repræsentari potest intellectui ad ideam aptum natum sit oportet. (2.) à fundamento, quod est repræsentatio, de qua

Conceptus in Theoremate seqventi. (3.) à fundandi ratione, quæ est ipsa contrahens. actualis cognitio objecti Cognoscibilis, quo facit abstractio, quæ ad proprium conceptum vel formalitatem rei a sequentiam est conductilis. (4.) à termino, qui est idea (seu conceptus) quæ nihil est aliud, quam species intelligibilis, sub qua rementi sistitur. (5.) à fine, qui est mensuratio intellectus ab objecto. Sed hæc diducere fusius pagellarum non patitur capedo.

THEISIS II.

Repræsentatio Directa

Fundamentum aptitudinis ad ideam diximus *Repræsentationem*, quæ est habitudo ad intellectum, ut res cognoscantur. Est verò *Repræsentatio vel directa*, quæ res exhibentur objectivè in natura verè existentes, ut per se nostrum determinent intellectum: vel *Indirecta*, quæ non per se, sed in contrario solùm repræsentatur.

THEISIS III.

Indirecta.

Indirecta repræsentatio iterum est vel *realis*, quæ est repræsentatio rerum in intellectu per triplicem viam, *Negationis* scil: *Causalitatis & Eminentiae*: vel *Virtualis*, quæ fit vel per remotionem contradictionis, aut per nudam non repugnantiam obedientialem.

Εκθεσις.

Explicanda hic foret quælibet repræsentationis speciei natura, verùm quia prolixiores esse nobis non licet, ex amplissimo hujus materiæ campo, paucos saltim flosculos luci publicæ exhibuisse sufficiat.

SECTIO II. ΑΞΙΩΜΑΤΙΚΗ

Ad ideam seu conceptum requiritur rei è statu singularitatis in statum universalitatis deductio.

Probatio.

§. 1. Dicitur hoc rerum natura, quæ cum non ipsum ingrediantur intellectum, abiis quædā præscindenda est notio, sub qua possunt intelligi. Jam verò notio illa non singularem, sed communem exhibet conceptum à singularibus abstractum.

§. 2. Valet autem Canon de iis, quæ sunt è multis seu actu plura sint, sive potentia, non vero de ente singularissimo, quod cum sit infinitum, saltim est unum. Vid. Exc. D. Calov. in Noologiæ part. gen. cap. 4. axiom. 9. p. 79.

AΞΙΟΜΑ ΙΙ.

Res è statu singulari in statum ideæ sunt deducenda,
mediante abstractione.

Limitatio:

Probatur regula à singularium conditione. Hæc enim cum non tantum corruptibilia sint & mutabilia, sed & ferè infinita, cognosci ab intellectu nostro haud possunt, neq; primariò in disciplinis considerari. Necessariò itaque à singularibus quædam abstrahitur idea, ut intellectui seire omnia naturaliter desideranti fiat satis.

SECTIO III. ΕΛΕΓΚΤΙΚΗ.

Probatio.

PROBLEMA I.

Num omne Cognoscibile fit aptum natum ad ideam? R.

§. 1. Omne quod est cognoscibile ad ideam esse aptum natum, vel inde patet, quod aptitudo ad ideam sub ratione cognoscibilis spectata unitum faciat Cognoscibilis attributum. Non tamen absolute hoc velim acceptum, sed de omnire, cui non repugnat multiplicabilitas, in qua ad ideam seu universalem conceptum aptitudo deprehenditur. Singula enim individua, prout naturam habent multiplicabilem exhibere aliquam ideam aptam nata sunt, non quidem quatenus sunt individua, sed quatenus in ipsis aliquid datur, quod per intellectum praescendentem ab individuantibus conditionibus liberatum, in aliis vel est, vel esse saltim per sui multiplicationem potest. Hinc omnis conceptus genericus, specificus, immo omnis communis, aptus natus, est producere ideam. De generico & specifico res in confessu est, cum illi à creaturis non tantum sint abstracti, sed formalem etiam illorum rationem eruere possumus. Incurrunt enim in sensu, & quidem vel directe seu à priori: vel indirecte i. e. à posteriori seu per effecta. De Conceptu, entibus creatis & increato, communis, major videtur esse difficultas, quam tamen facile superamus, si nempe certa adhibemus instrumenta, ut sunt remotio imperfectionis & perfectionis attributio. Notanter vero dicitur quod illæ res ad ideam sint aptæ, quibus non repugnat multiplicabilitas. Licet enim quædam detur natura, quæ in pluribus vel actu sit vel esse possit, si tamen in ipsis, in quibus est, non multiplicatur, singularis adhuc esse non desinit.

§. 2.



§. 2. Et hinc est quod natura divina utpote cui \neq multipli-
cari ob infinitatem repugnat, nullo modo admittat conce-
ptum universalem, sed non obstante, quod tribus Deitatis per-
sonis sit communis, permaneat singularis. Prohibet enim
quod minus detur idea Dei (1) *summa Dei perfectio*, ob quam in-
tellectus creatus signum aliquod formale, summae ipsius perfe-
ctioni respondens, formare non est potens. (2) *Summa sim-
plicitas*, quatenus divinæ naturæ repugnat multiplicari per dif-
ferentias oppositas naturasq; inferiores, quareformare de ipsa
ideam haut possum. Aliter vero res est comparata cum sole,
qui licet saltim existat unicus, neque aliis ei vel succedens vel
cum eo coexistens sit secuturus, non tamen ei omnis simplici-
ter multiplicatio repugnat, ideoque conceptum universalem
admittit facile.

§. 3. Notandum tamen denique & hoc est, quod licet
divinæ naturæ non detur idea, tamen haud raro idæ respon-
deat, quia (a) Natura divina tribus Deitatis personis, de quibus
prædicatur est communicabilis, unde respondet *idea licet
non passiva & universalis*, Deus enim de tribus personis non enunciatur ut de tribus distinctis entibus, ex superadditis tribus
naturis resultantibus, neque ut de tribus entibus individuis ex
contractione per *bic, nunc & tunc* promanantibus. (β) Natu-
ra divina in sensu incurrit à posteriori per effecta, ex quibus
conficimus ideam, quæ idea tamen non Dei, sed potius effecto-
rum est, licet Dei existentiam ex idea istiusmodi
rectè colligamus. Sed tantum.

SOLI DEO GLORIA!

Ecquid scire tuum nisi se scire hoc sciat alter?
Quidjuvat occultum scrinia quicquid habent?
Præsens hoc laudo specimen tum cætera plura,
Quæ prompti ingenii munera culta probant.
Mox laurus Sophiæ te libertate beabit,
Nec deerit meritis patria Preza tuis.

Sic applaud.

Christophorus Nossnagel/ P. P.
h. t. Collegii Phil. Decanus.



ULB Halle
003 792 544

3



05 A 2419

VDW

Farbkarte #13

Cyan

Blue

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

B.I.G.

Centimetres

Inches

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
8

DISPUTATIO GNOSTOLOGICA
De
AFFECTIONI-
BUS COGNOSCIBILIS IN
GÉNERE, ET DE UNITIS IN SPECIE,
Quam
DEO Trinuno Adspirante
In
Inchyta Leucoreá
PRÆSIDE,
M. GEORGIO MEIERO,
Lunæburgensi,
publicæ Philosophantium censuræ sifit
DETLEVUS PAULI, Prezâ-Holsatus.
Ad diem julii Anno M DC LXI.
H. Lq. C.
Literis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typpogr.

